






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-329907-p0002-2

DFG



1591.

1. Cladius, Annes: Subsequentes de testamento conciliariis publice defendunt Tommasus Tommatus, Joannes Schwartz, Joannes Rentzijas.

2. Tasyportius, Historicus: De jure emphyteutico

1593.

Piscovius, Franciscus: De epilepsia.

1594

1. Borchelt, Matias: ... Henrico Camerario ...
Henrico Grunfeldio ... Ianni Pasclio ... Tonino,
proceptoribus et factotibus meis ... s.p.d. (theses
subsequentes ... publice disputantes proponit). Thes.
57 pp. desunt.

2. Poschias, Joannes: Kyprius vnti Kos in officio
victoris academicis oratio.

3. Martinus, Cornelius: Ad hanc Aristotelis de inter-
pretatione theses.

1. Persoonius, Franciscus: De plenitudo iijusque curatione

1595

1. Boricholt, Statius: Trigō, Repartio et divisiones
fundi, Sem quo modū emphasis a fundo differat

2. Horstius, Jacobus: Theses de paralysi.

3. Littellius, Janus: De quaestione meteororum Disputatio II
de concoctione

4. Sigfridus, Iohannes: De partibus humani corporis
instauratis in genere.

1596.

1. Bokelius, Cornelius: De humani corporis ejusque pa-
trum actionibus.

2. Bokelius, Cornelius: De calido imato et spiritibus.

3 Bokelius, Cornelius: De temperamentis.

- Y. Boekelius, Cornelius: De elementis
5. Boekelius, Cornelius: De sanitate ejusque differentiis
et causis
6. Boekelius, Cornelius: De anima ejusque facultatibus
7. Boekelius, Cornelius: De corpore ejusque partibus
similiter.
8. Boekelius, Cornelius: De humoribus corporis
humani in genere
9. Boekelius, Cornelius: De partibus humani corporis
dissimilaribus sive organiis, carmine differentiis
10. Liddius, Junceanus: Viro clarissimo . . . Junceano
Liddio . . . phil et med. Doctori et superiorum mathe-
maticorum professori gratulentur collegae et familiares.
11. Martinus, Cornelius: Disputatione logicae adversus
Ranistas primi: De subjecto et fine Logicae.

- 053.
12. Martinius, Cornelius: Disputationum Logicarum
et verius Ratiocinaris: De constitutione et natura loco
veri in genere.
13. Parcoviæ, Franciscus: Thematæ de hydrope, quæ
... publice defendent Cornelius Bodilius, Elzevius
Leskius, Jacobus Holstenius.
14. Parcoviæ, Franciscus: De melancholia.
15. Sigfridas, Johannes: De partibus humani corporis
similans, spermaticis et sanguineis
16. a,b,c Speckher, Bernhard: Diatrypha Fideorum
Fidelis Ordinum ex jure Paucaros et pontificio
concinnata . . . 3 Scenfl. Den. ex Ta ab Henrico
Hahnio 1661, 1673 ÷ 1683.

DEI OPT. MAX.
BENIGNA ANNVENTE
GRATIA,

DECRETO ATQUE AVCTORI-
tate amplissimi Iureconsultorum ordinis in inclyta
Academia IVLIA

PRAESIDE ANDREA CLVDIO
L. V. DOCTORE ET IN EADEM ACADE-
mia Codicis professore, ac pro tempore iuri-
dicæ Facultatis Decano

Subsequentes
DE TESTAMENTIS
Conclusiones

PRO CONSEQUENDO IN VTRQ.
que Iure Doctoris gradu

Publicè defendant
IOANNES DOMANNVS Osnabrug. VVestphalus.
IOANNES SCHVVARTZ Parchimensis Megapol.
M. IOANNES RENTVVIGIVS Ascaniensis.

*Fiet disputatio ad 6. diem Septembris mane hora 6. in
auditorio magno.*

HELMSTAADI

Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1591.

32



EPIGRAMMA
IN AVTVMNUM AN-
NI 1591, DISPV TATIONIBVS ET
promotione aliquot Iuris Doct: in
academia IVLIA, insi-
gnem.

Esta recurre dies, nostro quæ prima lyceo
Fulisti lætis cælitùs ausspicijs. (bus.
Non venies in honora: parat tibi gaudia Phœ-
bus. Qualia non antehac exhibuisse datum est.
Cerne quot ad palmæ festinent præmia, magni
Virtute atq; artis cognitione viri.
CLVDIVS interpres legum spinosa recludens
Iura sacrum peraget ingeniosus opus.
Ille vicem præstans Themidis, quæ copia cuique
Ingenij & quis sit cultus in arte probat.
Oiuncunda Scholæ spectacula! in omnibus æquè
Ut morum grauitas lucet & artis bonos!
Quam turbâ hac felix præses quam præside turba!
A fato & votis res ea tota venit.
Omnibus est operum merces preciosa reposta:
Ornabunt iuuenes laurea serta viros.
At PRÆSES præstesqué bonus gnarusq; præesse,
Ante hyemis lectus tempora RECTOR erit.

Henricus Meibomius, Poëta laureatus Cæsarius,
in academia IVLIA professor publicus,
faciebat pridie Bartholomæi.

DE TESTAMENTIS
IOANNES DOMANNVS.

32.

Propositio I.

DEstamentorum materiam toto iure utilissimam, & Iurisconsulto futuro scitu maximè necessariam disputaturi, à notatione vocabuli rem exordiendam esse, non tantum philosophorum præceptis, sed etiam præclaris Iureconsultorum nostrorum exemplis passim docemur.

II.

Testamentum itaq;, Imperatore nostro Iustiniano auctore, ex eo appellatur, quod testatio mentis sit.

III.

Cæterùm Aul. Gellius, & Laur. Valla hanc Imp. nostri deriuationem rident & improbant, idem de vestimento, calceamento, falsamento &c. dicendum fore assuerantes. Nos allusionem potius, quàm veram etymologiam esse affirmamus.

IV.

Minimè verò probamus eorum sententiam, qui testamentum ab Imp. testationem mentis definiri existimant.

V.

Sed placet definitio Modestini (quem Imp. Gordianus non contemnendæ auctoritatis ICtum appellat) qui ait: Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit.

VI.

Superflua verò est hæc suppletio, quam Accursius eiusq; sequaces huic definitioni adiiciunt C V M HEREDIS INSTITUTIONE.

A 2

Porrò

VII.

Porrò originem testamentorum ad ius gentium, formam verò atq; incrementum ad ius ciuile referendum ducimus.

VIII.

Vtrum verò iuris rigore, an ex gratia & priuilegio teſtandi facultas hominibus sit concessa, magnus est inter interpretes nostros conflictus. Nos ex ipſo iure descendere, ut legitimæ voluntates testantium post mortem ipsorum exitum fortiantur, verius existimamus.

IX.

Genera testamentorum olim fuerunt tria. Vnum quod Calatis comitijs; alterum, quod in procinctu; tertium, quod per aës & libram appellatum. Sed hæc genera sunt abolita, & hodiè testamentum aliud paganum, aliud militare dicimus.

X.

Paganum est, quod domi fit extra militiam: idq; rurus in duas abit species, scriptum & non scriptum seu nuncupatiuum.

XI.

Scriptum testamentum dicitur, cum testator voluntatem suam obſeruata iuris ſolennitate in ſcripturam redigit. Non ſcriptum ſeu nuncupatiuum (quod & Theodosianum appellatur) cum testator viua voce in præſentia testium voluntatem suam declarat.

XII.

Testamentum autem ſcriptum ſeu ſolenne, vt iustum atq; ratum ſit, certæ ſolennitates (ad fraudes ſcilicet, quæ hīc frequenter fiunt, evitandas) à iure ſunt introductæ, quæ niſi adhibeantur, testamentum exitum non habebit.

XIII.

Requiritur itaq; vt testamentum integris literis ſcribatur. Nam notis testamentum ſcriptum non valere, iuris eſt manifesti.

XIV.

In eo præcipue debet eſſe heredis institutio, quæ quaſi caput

caput & fundamentum, imò anima testamenti perhibetur.

XV.

A testatore etiam, vel alio ipsius nomine (nisi testator propria manu illud scripserit) in testatoris præsentia est subscribendum.

XVI.

Testator insuper coram septem idoneis testibus omnibus simul, illud suum supremum arbitrium esse, tenetur significare.

XVII.

Testes verò specialiter ad id sunt rogandi, qui postea se subscribere & testamentum consignare debent.

XVIII.

Possunt autem omnes testes & vno anulo signare testamentum. Quid enim si septem anuli una sculptura fuerint? secundum quod Papiniano visum est.

XIX.

Sed & alieno quoq; anulo licet signare testamentum. Et quamuis Speculator velit hoc casu necessum esse ut in subscriptionibus testes exprimant se alienis vfos esse anulis; tamen hoc non probandum putamus. Sicuti nec illud quod scribit, non aliter quem anulo alieno vti posse, nisi proprio is careat.

XX.

Dubitatur etiam an desideretur, vt testes testatorem videant? Et quidem existimamus requiri, vt non tantùm testatorem dicentem, suam hanc esse ultimam voluntatem audiant, verum etiam vt testatorem videant.

XXI.

Dies & locus quo testamentum conditur vt apponantur, iure cautum non reperitur. Vtile tamen & consultum est illa quoq; apponi: idq; hodiè ex communi stylo & consuetudine videmus fieri.

A 3

Deniq;

XXII.

Deniq; vno contextu, nullo actu extraneo non necessario intericto, omnia prædicta fieri debere utiliter constitutum est.

XXIII.

Quamvis autem Andr. Alciatus per dispositionem iuris Canonici hasce iuris ciuilis solennitates esse sublatas, & de iure Canonicō testamentum coram duobus testibus conditum validum esse existimet, id quod etiam Canonistæ volunt: Tamen horum opinio probanda non est, & rectè eam Viglius reijcit, ac totam iuris ciuilis Scholam contrarium probare scribit.

XXIV.

Sanè sunt casus quidam singulares, in quibus solennitates enumeratæ pleræq; sunt remissæ, & septenarius testimoniū numerus non est necessarius; verbi gratia, in testamento inter liberos condito; sed illud singulari ratione est receptum.

XXV.

Rationem autem huius rei pleriq; interpretum hanc adferunt, quia cum caussa testati foueat caussam intestati, cefsat timor falsitatis, propter quem lex maiorem solennitatem & maiorem numerum testimoniū requirit.

XXVI.

Nos rationem hanc veram non esse asserimus. Ea enim attenta idem dicendum foret quandocunq; heredes ab intestato proximiores essent instituti, quod tamen leges non admittunt. Rectius itaq; cum Julio Claro dicemus, hoc fauore ipsorum liberorum, quibus etiam iure naturali debetur hereditas, esse introductum.

XXVII.

De testamento tempore pestis facto, difficilis quæstio est, vtrum septem testes in eo requirantur, an pauciores sufficient? & septem requiri Impp. Diocletianus & Maximianus rescriperunt.

In Nun-



XXVIII.

In Nuncupatiuo testamento solennitas scripturæ non desideratur: sed hic satis est, si testator coram septem idoneis testibus rogatis vno actu & contextu heredem palam nuncupet, & ultimam suam voluntatem aperiat.

XXIX.

Et quamvis hoc testamentum per Notarium in scripturam redigatur, tamen non efficitur scriptum, sed nuncupatiuum manet. Non enim eo solo, quod testamentum scribitur, æstimandum est testamentum scriptum, sed ex animo & mente testatoris.

XXX.

Sed plura de testibus videamus, & quinam in testamenti testes adhiberi possint, plenius discutiamus. Et sciendum est regulariter omnes qui non prohibentur testes in testamento esse posse.

XXXI.

Excipitur primùm mulier, quæ licet non solum in ciuilibus sed etiam in criminalibus testimonium perhibere possit; in testamento tamen eam testificari non posse, legum ciuilium conditoribus placuit.

XXXII.

Rationem vulgo reddunt ob sexus imbecillitatem & inconstantiam hoc fieri. Cæterum nos eam reijcimus, & meliorem, vt confidimus, quærenti assignabimus.

XXXIII.

Deinde impubes à testimonij testamentarij dictione repellitur: idq; adeò verum est, vt licet tempore aperiendarum tabularum pubes factus fuerit, tamen ipsius testimonium non legitimetur.

XXXIV.

Seruum quoq; in testamento testem adhiberi non posse, constat. Sed an idem procedat in monacho, qui seruo æquipa-

æquiparatur, quæstionis est? Nos monachum etiam absq;
consensu superioris in testamento testem esse posse tuebi-
musr.

XXXV.

Sic furiosum testem in testamento non esse adhiben-
dum, nihil dubitationis habet. In tantum, vt licet tempo-
re publicati testamenti sana mente præditus fuerit, tamen
ipsius testimonium nullas vires habeat. Sed si è contrario,
tempore conditi testamenti quis sanas mente, postea verò
furore correptus fuerit, vt tempore aperiendi testamenti,
sigillum & manum agnoscere non possit, nihilominus vali-
dum esse, quod antea cum ipso actum est, & æquius & veri-
us putamus.

XXXVI.

Mutum etiam & surdum testamentarios testes esse
non posse, Imp. noster Iustinianus docet. Idq; accipimus
siue coniunctim quis mutus & surdus sit, siue disiunctim
vel mutus tantùm vel surdus tantùm fuerit.

XXXVII.

Prodigi quoq; cui bonis interdictum est, qui neq; fi-
nem neq; modum expensarum habet, in testem non rectè
adhibetur.

XXXVIII.

Improbi quoq; & intestabiles, verbi gratia, condemna-
ti ob carmen famosum, à testimonij testamentarij dictione
meritò repelluntur.

XXXIX.

Pater, nec non is, qui in potestate eius est; item duo
fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, vtiq; testes in
vno testamento fieri possunt: quia nihil nocet ex vna domo
plures testes alieno negotio adhiberi.

XL.

Filius verò in testamento patris, & pater in testamento
fillij pro

filij pro testibus non admittuntur. Reprobatum enim est ea in re domesticum testimonium.

XLI.

Sed neq; heres scriptus, neq; is qui in potestate eius est, neq; pater eius qui cum habet in potestate, neq; fratres qui in eiusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt: Quia hoc totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia, creditur hodiè inter testatorem & heredem agi.

XLII.

Legatarijs autem & fideijcommissarijs, & alijs personis eis coniunctis testimonium non denegamus: Imò speciali constitutione hoc ijs concessum fuisse Iustinianus noster testatur. Vnde multò magis ijs qui in eorum potestate sunt, vel qui eos habent in potestate, eiusmodi licentiam permisam dicimus.

XLIII.

Nihil autem interest in quacunq; materia testamentum scribatur, modò ad eam rem sit idonea.

XLIV.

Sed & vnum testamentum pluribus codicibus confidere quis potest, secundum obtinentem tamen obseruationem omnibus factis, hoc est, ut in quolibet subscriptionum & obsignationum solennitates adhibeantur. Et tunc non exempla sed authenticæ tabulæ esse censentur, quibus relicta in ijs peti possunt. Aliás enim tralatitium est, ex exemplo neminem conueniri posse.

B

IOAN-

IOANNES SCVVARTZ.

XLV.

Videamus de testamento militari. Illud dicimus esse quod nullis adhibitis sollemnitatibus, à milite, in expeditione occupato, factum est.

XLVI.

Militibus enim propter nimiam eorum imperitiam, & periculorum functionem supra dicta diligens obseruatio, in testamentis ordinandis, remissa est.

XLVII.

Dicimus propter corum imperitiam, & periculorum functionem. Nam priuilegij huius militaris non vnicam, sed geminam esse causam cum Hottomanno II. fundatis confirmabimus.

XLVIII.

Ex quo sequitur priuilegium hoc tam peritis, vt ipsis etiam IC. quam imperitis, belli pericula pro Reipub. salute subeuntibus, concessum esse; cæteris, quamvis imperitis, denegatum.

XLIX.

Vnde nec C. Trebatium, cuius ob singularem iuris scientiam tanta apud Augustum fuit auctoritas, vt eius suauis, ac consilio ius codicillorum introductum sit, eo tempore, quo cum Iulio Cæsare in Gallijs militiam sequebatur (si modò eo tempore militum priuilegia introducta fuissent) nec Iulium Frontinum virum doctissimum sub Trajanō merentem, secundum regulas iuris ciuilis testamenta sua condere obligatos fuisse; sed vt alios quoscunq; indos milites suprema voluntatis moderamina condere potuisse, asserimus.

L.

Si itaq; in ipso confictu hostium in extremo vitæ discrimine miles testamentum fecerit, quomodo possit ac quomo-

quomodo velit, testari potest. Adeò quod si in vagina, clypeo, aut quacunq; alia materia litteris sanguine suo rutilantibus annotauerit, aut in pulnere gladio scripserit, quod post mortem suam fieri velit, validum erit testamentum.

L I.

Si vero in castris testetur, forte ægrotus, sufficit si coram duobus testibus voluntatem suam extremam aperiat.

L II.

Et quamvis hoc posteriore casu communis interpretum schola testium rogationem necessariam esse affirmet, nos tamen eam minime necessariam esse, defendemus.

L III.

Rogatio enim iuris ciuilis est, cuius sollemnitatibus militaria testamenta non sunt astricta.

L IV.

Cæterum beneficium hoc quoq; modo testandi hactenus à principalibus constitutionibus conceditur, quatenus militant, & in castris degunt. Illis autem temporibus per quæ citra expeditionum necessitatem, in alijs locis, vel suis ædibus degunt, minimè ad vindicandum tale priuilegium, adiuuntaur. Cessante enim caussâ finali, & ipsa priuilegia cessabunt.

L V.

Illud sciendum est, testamentum quod in castris milites fecerint, non communi iure sed quomodo voluerint, post missionem intra annum valere.

L VI.

Quid ergo si intra annum quis decesserit, conditio autem heredi adscripta post annum extiterit? an quasi militis testamentum valeat? & placet valere quasi militis.

L VII.

Sed relictis ijs, quæ de militari testamento latius adduci possent, videamus de personis quibus permisum est

B 2 facere

facere testamentum. Si enim de nullitate testamenti quæritur in primis animaduertere debemus, an is, qui fecit testamentum habuerit testamenti factionem, vt IC. Caius docet. Et sciendum, edictum de ijs qui testamentum facere possunt, vel non, esse prohibitorum. Ex quo sequitur, omnibus, quibus expreſſè aliqua lege hic actus non inueniatur prohibitus, testari permisum esse.

L VIII.

Regulam itaq; constituamus, non tantum masculos, verum etiam feminas, dummodo sint puberes, & sui iuris, nec de iure prohibeantur, suprema moderamina condere posse.

L IX.

Cæterum eorum qui prohibentur à quibusdam interpretibus memoriæ cauſa quatuor constituuntur ordines. Primum enim quidam prohibentur propter defectum suæ potestatis, & quod liberam rerum suarum potestatem non habeant.

L X.

Ergo filius familias testamenti faciendi ius non haber, adeò quidem, vt quamuis & pater ci permiserit, nihil omagis testari possit. De caſtrenſi tamen, vel quaſi caſtrenſi peculio filium familias testari posse expeditissimi iuris est, eò quod in huiusmodi bonis perpetuo patris familias vice fungatur.

L XI.

Multo minus serui testamenti faciendi ius habent cum plane mortui loco sint, nec quicquam habeant de quo testari possint.

L XII.

Monachus etiam qui in potestate superioris est, & omnium rerum suarum dominium amisit, suprema ordinare non potest. Quod si testamentum antea fecerit, religionis pro-

professione illud non rumpi, sed potius confirmari arbitramur.

LXIII.

Captus ab hoste iusto, quoniam cum libertate omnia amittit, testari non potest.

LXIV.

Obsides quoq; , non, qui ab vna ciuitate, recognoscente superiorem dantur alteri, sed qui à Populo Romano aut à supremis Principibus pro captiuis redimendis, aut pace firmanda hinc inde dantur, cum non sint sui iuris, testamenta facere prohibentur.

LXV.

Huc referri possunt & illi qui de statu suo dubitant. Nam qui incertus de statu suo est (vt IC. Paulus ait) certam legem testamento dare non potest.

LXVI.

Secundò quidam prohibentur propter mentis & iudicij inopiam. Et in hoc ordine primùm occurunt impuberes, qui licet pubertati proximi sint, testamentum tamen condere nequeunt.

LXVII.

Furore quoq; affectus quod testari non possit, nemini dubium esse arbitramur; sed si dilucida habeat interualla, eo tempore, quo furor abest testari non prohibetur. Ita tamen vt vnico contextu actum testandi absoluat, qui si furoris accessu interrumptatur, omnia de nouo sunt inchoanda, & absoluenda.

LXVIII.

Idem in mente capto, fatuo, & demente, qui, quo ad rem præsentem, nihil à furiosis distant, statuimus.

LXIX.

Prodigus quoq; , cui bonorum suorum administratio interdicta est testamentum facere non potest, sed id quod

ante fecerit quam interdictio bonorum suorum ei facta sit
ratum est.

LXX.

Ebrietas quæ teste Baldo mentis exilium inducit, an te-
stamentifactionem impedit, sæpè dubitatum meminimus:
Nos ad iudicis arbitrium hunc casum remittendum puta-
mus, qui ex ebrietatis qualitate, & moribus ebrij hoc æsti-
mabit.

LXXI.

Tertio, quibusdam facultas testamenti faciendi adem-
ta est ratione poenæ. Quò pertinent damnati ad mortem,
qui cum propter delicti perpetrationem ciuitatem, & liber-
tatem perdant, testamenta condere nequeunt.

LXXII.

De rationabili tamen consuetudine damnatorum testa-
menta valere quibusdam ex interpretibus placuit, ut bene
monet Dn. VVesembecius. Nisi etiam publicatio bono-
rum damnationi adhæreat.

LXXIII.

Eos vero, qui ad fustigationem, manus amputationem,
aut aurium præscissionem condemnantur, etiam iure scri-
pto, testamenta facere non prohiberi, affirmamus.

LXXIV.

Reum perduellionis, cuius ipsa criminis perpetratio-
ne, & vita & bona omnia fisco sunt commissa, adeò ut nihil
habeat, vel habere possit proprium, testari non posse, pla-
num est.

LXXV.

Hæreticum quoq;, nouissimum iudicium ordinare non
posse, iuris est manifesti.

LXXVI.

Idem dicendum de usurario manifesto, nisi de usuris
satis-

satisficerit, vel de satisfaciendo per pignora aut fideiussores cautionem præstiterit.

LXXVII.

Banniti an testari possint, ex tenore banni, seu proscriptionis diiudicandum putamus: Si quis enim ob delictum commissum omnibus fortunis ipso iure priuatur, & simul indignus declaratur, qui huius lucis usura frueretur, facta etiam omnibus non solum potestate, quouis modo hunc de medio tollendi, sed præmio quoq; eius occisi proposito, tunc eum intestabilem esse, non dubitamus.

LXXVIII.

Eos vero quibus ob leuius aliquod commissum, vel ad tempus, vel simpliciter patria sua interdicitur, testamenti factionem retinere statuimus.

LXXIX.

Excommunicatus quoq; ob læsam maiestatem diuinam, vel humanam, intestabiles effici, ius canonicum satis comprobatur.

XXX.

Quamvis etiam infamibus actus legitimè in quibus publica dignitas, vel utilitas versatur sunt prohibiti, atamen iustam voluntatis sententiam eos condere posse in aperto est: Exceptis ijs quorum infamiae specialis iuris determinatione etiam intestabilitatis poena est annexa, qualis est is, qui ob carmen famosum damnatus est, Item hereticorum receptor, & si qui sunt alij.

XXXI.

Postremo quidam facere testamenta prohibentur propter insignem defectum sensus: Vnde surdus & mutus simul à natura, nec testamentum, nec ullam aliam voluntatem componere potest.

Vbi au-

XXCII.

Vbi autem huiusmodi vitij non naturalis alicui accedit calamitas, sed morbus postea superuenit, & vocem abstulit, & aures conclusit, his, si litterarum cognitionem habent, testari permittitur.

XXCIII.

Surdus tantum, quocunq; modo, siue à natura siue accidenti, indistinctè testari potest, neq; resert litteras sciat, an ignoret.

XXCIV.

Mutus tantum siue naturaliter, siue per interuentum morbi huiusmodi infortunium accesserit, ita demum testari potest si litterarum est peritus.

XXCV.

Cœcus licet testamentum in scriptis facere nequeat, cum neq; scribere neq; videre possit, tamen per nuncupationem, obseruata forma ab Imperatore Iustiniano præscripta voluntatis suæ moderamina condere potest.

XXCVI.

Exceptis itaq; personis hactenus enumeratis, & si quæ sunt aliæ, quibus expressim testamenti factio est ademta, reliquis omnibus testamenta facere permisum est; Idq; adeò procedit ut nec pactis, nec stipulationibus, conueniri possit, ne testare liceat: huiusmodi enim conuentio tum canonico cum ciuili iure contra bonos mores esse dicitur.

M. IO-

M. IOHANNES RENTVVIIG.

LXXXVII.

Notanter I.C. Caius ait: inter cætera, quæ ad ordinanda testamenta necessariò desiderantur, principale ius esse de liberis heredibus instituendis, vel exheredandis.

LXXXVIII.

Quò respicit Iustinianus noster, dum scribit, non sufficiere, ut testamentum valeat, hactenus expositam observationem, sed requiri, ut is, qui filium in potestate habet, eum heredem instituat, vel exheredem nominatim faciat.

LXXXIX.

Quamvis autem iure veteri inter emancipatos & suos, inter foeminas & masculos, maxima fuerit differentia: tamen, eam sublatam dicimus, ita ut hodie, tam emancipati quam sui, tam foeminæ quam masculi, necessariò sint heredes instituendi, vel iustis de causis exheredandi.

X C.

Licet etiam olim postumi exheredari potuerint: tamē & illud hodiè summa ratione est correctum. Quomodo enim grauissima exheredationis nota affici potest, qui causam exheredationis nullam, vel commisit, vel committere potuit.

XCI.

Sic quanquam iure antiquo mater & aviūs maternus liberos silentio præterire poterant: & huiusmodi præteritio pro exheredatione habebatur: Attamen illud etiam hodiè correctum, & huiusmodi testamentum nullum esse, cum Mynsingro nostro asserimus.

XCII.

Plures auten exheredationis causas, quam quæ ab Imperatore Iustiniano in nouella ordine sunt enumeratae, non attenta communi Doctorum opinione, quæ in contrarium est, minimè admittimus.

C

Sed

XCIII.

Sed vidimus, quānam requirantur ut testamentum iustum atq; firmum habeatur: Cum verò, in actionibus humanis, nihil ferè tām firmum sit, quin tandem aliquo modo, si non rescindi, infirmari tamen possit: sit etiam ut testamētum iure riteq; factum & firmum aliquando aut infirmetur, aut rescindatur. Illud autem quomodo contingat, nunc est subiectum.

XCIV.

Iure itaq; ciuili testamentum iustum infirmatur, non ex eo solum, quod postea id testator valere noluerit, sed si rumpatur, vel in irritum constituatur.

CXV.

Minimè enim probamus Francisci Connani, viri alias summæ doctrinæ & acerrimi iudicij, sententiam, simplici ac nuda voluntatis mutatione, solis verbis declarata, testamentum antea iure, riteq; factum infirmari putantis.

XCVI.

Rumpitur duobus modis, primò agnatione sui heredis.

XCVII.

Vndè si quis post factum testamentum adoptauerit sibi filium per Imperatorem, eum qui est sui iuris, aut per prætorum, secundum Imperatoris nostri Iustiniani constitutionē, eum qui in potestate parentis fuerit, testamentum eius rumpitur, quasi agnatione sui heredis.

XCVIII.

Sic per postumi præteriti agnationem testamentum rumpi iuris est haud incogniti.

XCIX.

Secundò, posteriore testamento, quod iure perfectum est, superius rumpitur.

C.

Nec interest extiterit aliquis heres ex eo, an non: hoc enim solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit.

Idcoq;

CI.

Ideoq; si quis aut noluerit heres esse, aut viuo testatore, aut post mortem eius, antequam hereditatem adiret, defecerit, aut conditione, sub qua heres institutus est, defectus sit: in his casibus paterfamilias intestatus moritur. Nam & prius testamentum non valet, ruptum à posteriore, & posteriorius æquè nullas habet vires, cum ex eo nemo heres extiterit.

CII.

Sed et si quis iure testamento perfecto posteriorius æquè iure fecerit, etiam si ex certis rebus in eo heredem instituerit, superius tamen testamentum sublatum esse Diui Seuerus & Antoninus AA. rescripsierunt.

CIII.

Adco autem posteriore testamento prius rumpitur, ut pacto effici non possit, ne testamentum mutari testatori licet. Nam vt I.C. Hermogenianus ait, nemo sibi eam post legem dicere, vt à priore testamento ei recedere non licet.

CIV.

Et eleganter Imperator Constantinus scribit, Nihil esse quod magis hominibus debeatur, quam vt supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit Stylus, & licitum, quod iterum non reddit, arbitrium.

CV.

In irritum constituitur testamentum his potissimum modis. Primùm non adita hereditate, ut ICtus Papinianus expressè docet.

CVI.

Secundò capitis diminutione, quam testator post conditum testamentum passus est.

CVII.

Idq; in maxima & media sine dubio procedit: in minima verò indistinctè non conceditur.

C 2

Quam-

CVIII.

Quamvis autem Harmenopolus & Faber emancipatione quoq; testamentā irrita fieri existiment: tamen nos eum Viglio & Cuiacio contrarium affirmamus.

CIX.

Tertiō in irritum constituitur testamentum, si testator testamentum, partēmve testamenti, consultō deleuit, induxit, vel inscrīpsit.

CX.

Diuus Pertinax oratione sua expressit, non admissurum se hereditatem eius, qui litis causa principem reliquerit heredem: neq; tabulas non legitimē factas, in quibus ipse ob eam causam heres institutus erat, probaturū: neq; ex nuda voce heredis nomen admissū, neq; ex vlla scriptura, cui iuris autoritas desit, aliquid adepturū secundū quod Diui Seuerus & Antoninus sēpissimē rescriperunt. Licet enim, inquiunt, legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.

CXI.

Rescinditur testamentum per querelam inofficiosi, quando scilicet frustra liberis exheredatis, non ex officio pietatis, testamentum est conscriptum.

CXII.

Cum enim plerunq; parentes sine causa liberos suos exheredent, inductum est, ut de inofficio testamento agere possint liberi, qui queruntur iniquē sc exheredatos, hoc colore, quasi non sanè mentis fuerint, cum testamentum ordinarent.

CXIII.

Sed hoc dicitur non quasi verē furiosi sint, sed rectē quidem fecerint testamentum, non autem ex officio pietatis. Nam si verē furiosi fuerint, nullum testamentum est.

Et

CXIV.

Et quamvis Bartolus hodiè dementiæ colorem non prætendendum existimet, tamen nos cum Viglio adhuc hodiè eum prætendendum arbitramur.

CXV.

Vana autem est disputatio Doctorum de nomine, vtrū videlicet querela inofficiosi actio vel postulatio, an accusatio, vel officium iudicis dicidebeat. Certum enim est, verbum, Querela, modestiæ causa usurpatum ad denotandam hanc actionem. Promiscuè enim vel actio vocatur, vel accusatio, communiter autem querela.

CXVI.

Datur querela inofficiosi testamenti non tantum libe-
ris naturalibus & legitimis simul, verum etiam legitimis
tantum, hoc est, ab ascendenre adoptatis, vel arrogatis &
non tantum filiis & filiabus, sed etiam nepotibus & nepti-
bus, & cæteris descendantibus.

CXVII.

Parentibus quoq; iniquè à liberis exheredatis, inoffi-
ciosi querela competit, & non tantum patri & auo, sed etiā
reliquis ascendentibus.

CXVIII.

Fratribus etiam & sororibus, turpibus personis heredibus scriptis, querela inofficiosi datur: sed hæc tantummodo de fratribus & sororibus germanis, itemq; consanguineis, intelligimus: nam fratres vel sorores uterini, & reliqui qui vltra eos sunt, ab inofficiosi actione penitus ar-
centur.

CXIX.

Quandoq; tamen etiam turpibus personis heredibus institutis, fratribus & sororibus querela denegatur, quando videlicet ingratitudinibus causam aduersus fratrem for-
rémve commiserunt.

CXX.

Quanquam autem olim postumis quoq; hæc querela concedebatur, tamen hodiè illud est mutatum, (querela enim competit, quando causa exheredationis est falsa, at postumus causam exheredationis committere nequit)

CXXI.

Sed & tunc demum querela inofficiosi locum habet, quando nihil in testamento liberis relictum est, quod si aliquid, sed minus portione legitima relictum iis fuerit, tunc liberi, querela inofficiosi quiescente, ad legitimæ supplementum condicione ex L. omnimodo 30. C. de inoff. testa. agere debent.

CXXII.

Licet autem olim satis erat quocunq; titulo vel legati vel fideicommissi vel donationis, vel alio quopiam liberis legitimam relictam fuisse: tamen iure nouissimo Institutio- nis titulo eam relinquendam esse Imperatori Iustiniano placuit.

CXXIII.

Illud etiam obseruandum est, eum qui legatum ex te- stamento accepit, inofficiosi querela experiri non posse. Iudicium enim defuncti agnouit atq; approbavit.

CXXIV.

Nisi alieno nomine legatum extestamento petiit. Nam si tutor nomine pupilli, cuius tutelam gerebat, ex testamen- to patris sui legatum acceperit, cum nihil erat ipsi tutori re- lictum à patre suo, nihilominus poterit nomine suo de in- officioso patris testamento agere.

CXXV.

Sed nec illud prætereundum est, eum qui testamentum inofficium improbè dixit, quod in testamento ei relictum est, perdere, idq; tanquam indigno ei auferri & fisco ap- plicari.

Nisi



CXXVI.

Nisi similiter nomine alieno hoc fecerit. Nam si tutor pupilli nomine, cui nihil relictum erat, de inofficio egerit, & superatus est, ipse tutor quod sibi in testamento eodem legatum relictum est, non amittit.

CXXVII.

Coronidis loco illud subijciamus, quamuis olim rescisso per querelam inofficiosi testamento nihil ex eo debebatur, sed testator omnino efficiebatur intestatus, tamen hodie pcrempta institutione heredis, legata, fideicomissa, & reliqua in testamento ordinata firma permanere concludimus.

F I N I S.



140
141
142
143
144

CANTUS

145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
1000

2 1 4 - 1 1



ULB Halle
003 338 150

3



TA-02

VD 77





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-329907-p0034-1

DFG

Farbkarte #13



DEI OPT. MAX.
BENIGNA ANNVENTE
GRATIA,

DECRETO ATQVE AVCTORI-
tate amplissimi Iureconsultorum ordinis in inclita
Academia IVLIA

PRAESIDE ANDREA CLVDIO
I. V. DOCTORE ET IN EADEM ACADE-
mia Codicis professore, ac pro tempore iuri-
dicæ Facultatis Decano

Subsequentes

DE TESTAMENTIS
Conclusiones

PRO CONSEQUENDO IN VTRQ.
que Iure Doctoris gradu

Publicè defendant

IOANNES DOMANNVS Osnabrug. VVestphalus.
IOANNES SCHVVARTZ Parchimensis Megapol.
M. IOANNES RENTVVIGIVS Ascaniensis.

*Fiet disputatio ad 6. diem Seprembris mane hora 6. in
auditorio magno.*

HELMAE STADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1591.

32.